



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindelicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Anglia, Scotia, Hybernia alijsq[ue] multis Insulis & Insulanor[um]
moribus. Caput Vicesimum sextum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

viuendi ritus quem comemorauit, eis inquam, qui boreale Hispanie latus terminant. Memorie proditum est, Cantabros, qui extrema Lusitanie seruant, cum in hostium potestatem perueniunt & deinde cruci affixi, læticie peana canere, Viros vxoribus dotes tradere, & filias hæredes designari, a quibus fratres earum vxoribus exhibentur, tantaque feritate esse, vt matres filios, ne in hostium manus perueniant, trucidare, & illud etiam filios parentibus facere, Cuidam deo sacra faciunt, cuius nomen non extat. Rotunda Luna tempore nocturno ante fores per omnis domos pernoctant choreas agitantes, virorum & mulierum comunis est vxilitas, Rem ipse rusticam exercent, Puerperæque viris ministerium exhibent, Hispanum & illud est, vt de more toxicum apponatur ex olere apio consimili conficiunt, nullum afferens dolorē vt si quid offeratur inuiti, in promptu illud habeant. Eorundem & illud est vt se pro ijs, quibus concilientur immolent, & pro eis morti se deuouent.

Cantabros mores.

Cantabros ferocitas.

Religio

Toxicum semper in promptu

De Anglia, Scotia, Hybernia aliisque multis Insulis & Insulanorum moribus, Caput Vicissimum sextum.

Anglia quæ & Britannia ab eruditis dicitur insignis in Oceano Insula triangulari forma Sicilie similis. Hæc vndique a circumfuso mari circumplexa est nusquam iuncta continentis, sed ab omni orbe nostro diuisa, quæ & quondam ab albis rupibus, qui ad eam nauigantibus primo apparent Albion dicebatur. Troes eam quandoque incoluerunt, qui Troia a Grecis vastata Palladis oraculo digressi classe in hanc Insulam venerunt atque Gigantes tunc eam incoherentes multis prælijs victos expulerunt. Hos verum & ipsos post multos annos Saxones illustris Germaniæ populus Angeliæ reginæ auspicio expulerunt, & agros opesque Insulanorum inter se partientes, vt linguæ pariter & gentis memoria in deuicta Insula sempiterna foret ab Angela ductrice sua terram illam angliam dixerunt, quamuis plerique sic appellatam putent, quasi nostri orbis angulum. Galliæ & Hispaniæ septentrionem versus opponitur. Ambitus quadragies octies & septuaginta quinque milibus passuum constat: dies longissimus. xvij. horarum deprehenditur, & estate lucide sunt noctes. Sunt Angli caeruleis oculis, facie adeo venusta, & statura procera, vt beatissimus Gregorius cum forte Anglorum pueros Romæ videret. Bene inquit bene Angli dicuntur, quia vultu nitent vt angeli, oportet illis ministrari iter salutis æternæ. In bello sunt intrepidi, optimique sagittarij. Femine candore & forma insigni. Vulgus ignobile ferum & inhospitale: mitior nobilitas ac magis obuia ad omne humanitatis officium: aperto capite, alteroque genu flexi hospites salutant: osculant etiam si mulier sit, atque in cauponam ducunt. potantque vna, quod facere minime probro est modo omnis lasciuia ablit. In bello non agri violant, non vrbes, sed ad internicionem alterius partis dimicatur. Omnia victorem sequuntur Prouinciatarum omnium prima

Anglia quodam Britannia

Albion Troes in anglia

Saxones in Anglia

Anglia vnde appellata

Ambitus angliæ Noctes estate lucide in anglia.

Venusti sunt Angli corpore

Hospitalitas angloꝝ

De omnium gentium ritibus.

Lupos non gignit Anglia. Christianam pietatem complexa est, pecoris & Janificij abundans, Lupos non gignit, nec illatos nutrit. Idcirco vagum pecus & sine custode securum
Diuitiae Angliae. Est Anglia etiam metallis diues, Aurum habet, Argentum plumbum, & cuprum Insunt & Margaritae, & Gagates lapis, qui ardet in aqua, & oleo restringitur
Vina exotica i. aliunde aduecta. Vinum non gignit tellus, sed pro eo Ceruisia in usu est. Sunt & exotica vina, Vici & villae in Anglia plurimae sunt, & vrbes numero multae Lundonia gentis caput regiaque sedes, quae nunc corrupta voce Londres, copia negotiorum celebris, & tales infra paucos annos Anglorum mores erant, Caesaris vero tempore alios tuebantur, Nefas tunc erat leporem, gallinam aut anserem gustare, aere tamen voluptatis gratia, Mediterranei plerique lacte & carnibus sine frumenti usu, victitabant, Amiciebantque pellibus, Glasto ora inficiebant qui color est caeruleus, ut in pugna horridiores essent, capillo promisso, praeter caput caeterum corpus rasitare, Mulieres vno tempore denis & amplius viris matrimonio locari, habereque eas fratres cum fratribus communes, parentes cum liberis, ac si qui ex his nati essent liberi habebantur, Strabo author est, Anglos pro caeros homines supra Gallorum staturam esse, capillo breuiore, in quo tamen cum Caesare dissentit nemora vndique obseptae, vrbes illis fuisse & in his tuguria sub quibus & domini & armenta stabulabantur, pluuium ibi caelum esse magis quam niuale, cum differenaret, late nebulam obtinere terram ut quattuor circiter horas meridianum solem non aspiciant. ¶ Scotia suprema Angliae pars est ad septentrionem tenui freto siue flumino ab insula dirempta, nec procul inde Hybernia, Hyrlandiam vulgus vocat, Indiscreti Insulanorum habitus, indiscreta fere omnia, eadem lingua, ijdem mores, subita in genia, & in vltionem prona, ferociaque in bello insignis, sobrii & inedia patientissimi, eleganti forma, sed cultu negligentiore, Scotia pictura corporis nuncupati ut quidam arbitrantur, vetus & vulgare fuit pectus brachia manus encausto figurare, quod in paucis hodie seruetur, atque huiusmodi syluestribus, veteres scriptores, Brytannorum fuisse aiunt, quum in pugnam ituri essent, corpora sibi tingere, ad terrorem ut credere par est, Inuidi natura, ac caeterorum mortalium contemptores. Ostentant plus nimio nobilitatem suam, ut in summa etiam egestate sium genus referant ad regiam stirpem, Gaudet mendatio nec pacem colunt ut caeteri angli, Scribit pius pontifex dies ibi brumales trium ferme horarum esse, caeterum & illud mirabile in ea gente obseruasse, Mendicantes circa diuorum templa lapides in elehemolynam a praetereuntibus cogere, quibus ad usum ignis vterentur, Caret lignis ea regio, lapis qui datur sulphurea est materia aut certe pinguis Refert quoque Aeneas inuestigata a se ibi arborem esse, sed non repertam, cuius cadaua folia in subiectum anem prolapsa in volucres verti dicerentur, adicit audiuisse postea a locorum peritis id miraculi in Orchardum vna spectari. ¶ Hybernia Insula inter septentrionem & occidentem solem dimidio minor quam Britannia, cui propinqua est, ab hyberno tempore, ut quidam putant, appellata, adeo pabulosa est ut ibi pecuaria (nisi aestate a pastibus arceant) in piculum agat saties, Nullum noxium aia

gignit, non araneum, non ranam nec alit aliunde inuectam: omnia noxia animalia alio asportata solo pulueris iniectu necat. Apes in ea non reperiunt, mira coeli temperies, fertilitas insignis. Gens tamen inhospita, inculta, crudelis. Sanguine interemptorum haustoprius victores vultus deturpant. Fas atque nefas eodem animo ducunt. Puerpera si quando marem edidit primos cibos gladio imponit mariti, inque os paruuli summo mucrone auspicio alimfertorum leniter infert. & gentilibus voris optat, non aliter, quam si in bello & inter arma mortem obeat. Qui cultui student, dentibus marinarum beluarum insignium ensium capulos exornant, candidant enim ad eburneam claritatem. Viris praecipua gloria in armis est. Montium incolae carne lacte & pomis vitant, magis venationi & ludis, quam agrestibus operibus dediti. Mare quod inter Hyberniam & Angliam interluit vndosum inquietum toto anno: non nisi aestiuis pauculis diebus est navigabile, nauigant autem vimineis alueis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum. quantocumque tempore cursus tenebit, nauigantes escis abstinent freti latitudinem in centum viginti millia passuum diffundi, qui fidem ad verum ratiocinari sunt aestimantur. Qui Sylluram insulam tenent homines etiam nunc vetustum morem custodiunt. Nundinas ac nummum refutant. dant res & accipiunt. mutationibus necessaria potius quam precijs parant. deos percolunt, scientiam futurorum pariter viri & foeminae ostendant. Ebudum insularum quarum quinque sunt, incolae fruges nesciunt, piscibus tantum & lacte viuunt. Rex vnus est vniuersis, nam quorquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur. Rex nihil suum habet, omnia vniuersorum: ad aequitatem certis legibus stringitur, ac ne auaritia a vero diuertatur discit paupertate iusticiam, utpote, cui nihil sit rei familiaris, e publico alitur. Nulla illi datur foemina propria, sed per vicissitudines in quamcumque commotus sit vsariam sumit, ynde ei nec votum, nec spes conceditur liberorum. Thyle insularum vltima, quae circum Brytanniam iacent est, in qua aestiuo solstitio sole de Cancry sydere faciente transitum nox fere nulla, Brumali solstitio perinde nullus dies. Pomorum copiosa est, qui illic habitant principio veris inter pecudes pabulis viuunt, deinde lacte, in hyeme conspergant arborum fructus. Viuntur foeminis vulgo, certum matrimonium nullis. Aliae quoque existunt insulae in oceano his occidentem versus oppositae, quae a Graecis Gymnesiae ab incolarum nuditate, qui aestatis tempore absque vestibus incedunt, ab accolis vero ac Romanis Baleares, a fundae iactu, quam rectius quam reliqui lapides iaciant appellati. Harum media reliquis maior, est, demptis septem, Sicilia, Sardinia, Creta, Euboea, Cyprus, Cyrno, Lesbo. Absit ab Iberia, quae Hispania est, diei vnus nauigatione. Minor ad orientem spectat, nutriens plurima omnis generis armenta, sed mulos praecipue, qui & magni sunt & sonora voce. Vitae quoque insula fertilis ac fructifera est, refertur habitatoribus, ut qui triginta hominum milia excedant. Ad vini potum, quod raro apud eos est, sunt promptiores. Oleo omnino carent: ideo ex Lentisco & Procidipe mixtis vngunt corpora. Mulieres adeo praeter ceteris appetunt, ut mulierem a praedonibus

Nullum noxium animal in Hyberniam

Hybernorum barbari mores

Atr. ritum

Hybernis praecipua in armis gloria

Syllura insula

Ebudes insulae

Oia vniuersorum apud ebudes.

Thyle insulae vltima

Nox nulla Dies nullus.

Cōia matrimonia Gymnesiae insulae Baleares insulae

Iberia hispania

De omnium gentium ritibus.

Durus habitandi ritus captam tribus aut quatuor redimant viris. Habitant in saxis concavis iuxtaque precipites petras. Effossis cuniculis ad corporum tegumenta utuntur, & vitæ securitatem. Aureo nummo aut argenteo non utuntur, quæ afferri ad insulam prohibent: existimant enim eo pacto, cum auro atque argento careant sese facile omnes vitæ insidias euasuros. Hanc ob rem cum olim cum Carthaginensibus militassent, ex stipendio impenso mulieres ac vinum emptum secum tulere. Mirandum vero quod in nuptiis de more seruant: in epulis enim quæ cum domesticis amicisque in nuptiis fiunt. Primus secundusque & deinceps secundum ætatem reliqui nuptiam cognoscunt: vltimus sponso locus ad uxorem datur: priuatim quid etiam, & a cæterorum moribus alienum in defunctorum sepulchris obseruant. Lignis enim membra corporis incisa in vas coniciunt supraque saxa accumulant. Arma eis sunt fundæ tres, vna caput cingunt altera ventrem, tertia in manibus gestatur. In prælio lapides multo maiores quam reliqui ita robuste iactant, ut ab aliquo tormento lapis missus videatur. In urbium expugnatione lapidum iactum eos quidem qui supra ex propugnaculis moenia tuentur vulnerant. In pugna vero scuta galeas omnesque armorum genus confringunt: ita autem recte lapides propellunt, ut raro effugiat ictum appetitus locus, quod eis continuus a pueritia usus præbet, a matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quod iactu petant, neque ante cibum capiant, quam panem lapide eiectum pro cibo sumant permissu matris. Nunc de insula in oceano versus meridiem reperta, & quæ in ea præter fidem narrantur, deque inuentionis causa paucis sunt explicanda. Iambolus a pueritia eruditus post patris, qui mercator fuit, obitum, & ipse mercaturæ operam dedit, per Arabiam transiens ad aromata emenda, cum sociis itineris a satronibus captus primo cum vno ex conseruis pastor deputatus est, deinde vna cum eo a quibusdam Æthiopibus comprehensus vltraque maritimam Æthiopiam ductus: Hi cum essent externi in expiationem eius regionis capti sunt, Mos erat his qui ea loca incolerant Æthiopibus a præscis temporibus ex deorum responso traditus, perque progenies viginti, annos vero sexcentos (progenies enim triginta perficitur annis) obseruatus duobus hominibus expiationem facere. Habebant præparatum nauigiolum adferendas maris tempestates aptum, & quod duo viri facile regere possent, In id sex mensium victu, quod satis esset ambobus imposito, viros inducentes mandabant: ut secundum oraculi responsa nauiculam versus meridiem dirigerent, venturos eos ad insulam esse scelicem & humanos homines, qui beate viuerent. Eodem modo & eorum patriam, si ipsi in insulam salui peruenissent, sexcentis annis in pace scelicitateque futuram. Sin vero longitudine maris territi cursum retro verterent, tanquam impios ac scelestos omni eorum genti magnarum calamitatum causam præbituros. Æthiopes vero aiunt dies agere iuxta mare festos, sacræque facere optantes, quo solita fiat expiatio, prosperum nauigantium cursum. Hi post quatuor mensium nauigationem multis acti tempestatibus, ad insulam deferuntur figura rotundam stadiorum ambitu quinque milium insulæ appropinquantibus accolæ quidam obuic scapham deducunt,

Alij accurrentes mirantur alienigenarum aduentum eos humaniter benignę suscipiunt, quę apud se erant illis communicantes. Sunt eius insulę homines corpore ac moribus haud nostris similes, eadem tamen corporis forma, sed quę magnitudine quatuor cubitos excedat, horum ossa veluti nerui quo velis flectuntur reflectunturq;. Corpore sunt plusq; nostra, agili ac robusto. Nam si quid manibus caperint, nemo eripere ex digitis potest: pilis corporis adeo perpolita, vt ne parua quidem lanugo appareat. Pulchri sunt decori & corpore composito. Aurium foramina multo nostris patentiora, quemadmodum & lingua a nobis differunt. Habet enim eorum lingua priuatim quid, tum a natura, tum ad ingenio datum, diuisam enim linguam natura dedit, qua scinditur in inferiori parte, vt ab radice duplex esse videatur. Ita varia vniuntur loquela, vt non solum voce hominum loquantur, sed auum diuersarum imitantur cantus. Et quod admirabilius videtur vna cum duobus hominibus perfecte simul respondendo, tum disputando loquuntur: vna enim linguae parte vni loquitur, reliqua alteri. Purum ibi esse integro anno aerem constat, quemadmodum Poeta scribit, Pyrum supra pyrum, malum supra malum, vnam supra vitem senescere: esse insuper tradunt continuo diem parem nocti. Circa meridiem nullam fieri rei alicuius vmbra cum supra verticem sol existat. Viuunt autem secundum cognationes ac ceteros, qui tamen quadringentos non excedant. Habitant in pratis ferente absq; cultura sponte sua vberes fructus terra, Nam insulę virtus aërisq; temperies terram sua sponte frugiferam, vltra q; satis est reddit. Nascuntur apud eos arandines plurimę ferentes vberem fructum albo eruo persimilem: hos collectos spargunt aqua calida, quoad auctus quis columbę magnitudinem æquat, ex his postmodum contritis panem conficiunt dulcedine præstantem. Sunt etiam in ea aquarum fontes per magni, ex quibus partim aqua calida ad vsum balnearum, ad curandosq; morbos manant, partim summa dulcedine frigida, quę ad validitatem conferunt. Est quoq; omnium doctrinarum maximęq; astrologiæ apud eos cura. Vtuntur literis quas habent viginti & octo secundum virtutem significandi, characteres vero septem, quarum quaelibet quatuor interpretatur modis. Longissimę sunt ætatis, vt qui annis centum quinquaginta vitam agant, & absq; aliquo (vt plurimum) morbo. Si quis febricitat, aut corpore æger fuerit, mori statuta lege compellunt. Non scribunt per latus, vt nos, sed a superiori parte recta linea ad inferiorem. Mos est eis ad certam vsq; ætatem viuere, quę perfecta, variam sibi mortem sponte constituunt. Gemina est apud eos herba, supra quam si quis iacet in sua uena deductus somnum moritur. Mulieres minime nubunt, sed omnibus sunt communes. Simili modo & filij educantur, communicq; amore sunt omnibus. Abducunt sæpius a nutrientibus infantes ne matres filium recognoscant. Quod fit, vt cum nulla sit apud eos ambitio, aut præcipua affectio, concordēs absq; seditione viuant. Esse insuper ea in insula animalia magnitudine quidem parua, sed natura & sanguinis virtute admirabilia, corpore sunt rosundo ac testudinibus simili duabus lineis inuicem per medium

Hoim mirabilū descriptio

Lingua duplex a natura hoibus

Insulę vberitas

Terra absq; cultura frugifera

Fontes salubres

Doctrinarum cura Literarum

Longeuitas

Æger mori lege compellitur

Viuenti certa meta.

Herbæ mortem inducentes

Mismonia communia.

Animalia admirabilia.

De oim gentiu ritibus.

transuerfis, in quarum cuiuslibet extremo sit auris & oculus, vt quatuor oculis videant, totidemq; audiant auribus. Vnicis ventre atq; intestinis, in que comesta confluunt. Pedes circum habent plures, quibus in vtranc; partem ambulat. Huius belug sanguis mirabili asseritur virtute. Omne enim corpus concisum dum spirat hoc tinctum sanguine cohaeret. Quisq; coetus natus magnas diuersae naturae aues, quibus experiuntur quales filij sint futuri, Impositis enim supra aues infantibus si volantes per aera inmoti non expauescant, educant. Si vero timore ignauiq; deficiunt, proijciuntur, vt neq; diutius victuri & animi exercitio inutiles. Cuiuslibet coetus senior alijs tanq; rex cui parent omnes, imperat Annis centum quinquaginta actis seipsum vita ex lege priuat. post eum senior accipit principatum. Mare quo insula circumdatur fluctuosum, & quod motus ingentes facit. dulcis est aquae gustus. Arctus & pleraeq; stellae quae nobis apparet: minime ab illis conipiciuntur. Sunt & aliae septem insulae pari magnitudine paribusq; ferè interuallis distantes, quae eiusdem gentis legisq; existunt. Omnes eas incolentes, quamuis terra sua sponte abunde victum ferat, his tamen modeste vtuntur. Simplices enim cibos appetunt nutrimentum quod satis est quarentes. Carnibus tum assis tum elixis vescuntur. Coquorum artem varijsq; saporibus condita vt inutilia reijciunt. Deos & eum, qui omnia continet, solemq; & reliqua caelestia colunt. Pisces auesq; varij generis capiunt. Nascuntur ibi sua sponte arbores fructiferae, Oleae & vites, ex quibus olei & vini copiam educunt. Serpentes in penes magnos sed innocuos insula producit, quorum carnes mirae dulcedinis edunt. Vestes parant ex lanugine molli ac splendida ex medio arundinũ sumpta, qua maritimis tincta ostreis vestimenta purpurea conficiuntur. Varia existunt animantia, vt quia propter opinionem haud facile credita. Certum viuendi ordinem seruant, vnico cibo dietam contenti. Nam certo die pisces, alio aues, quandoq; terrestria animalia edunt, oleo aliquando simpliciq; mensa vtuntur. Diuersis sunt exercitijs dediti, quidam inuicem ministrant, alij piscantur, alij exercent artes, nonnulli circa alias res vsui commodas occupantur. quidam exceptis senibus partitis inuicem operis seruitio vacant. In sacris ac diebus festis hymnos in deorum, & maxime Solis, laudes canunt, cui se & insulas dicant. Mortuos in littore sepeliunt, cadaver cum mare fluit arena obruentes, vt aquae fluxu inundationeq; exaggeretur locus. Calamos ex quibus fructum decerpunt augeri aiunt minuiq; ad lunae modum. Fontium aqua dulcis ac sana caliditatem seruat, nisi frigida aqua aut vinum immisceatur. Iambolus & qui cum eo accesserat cum septem annis in insula mansisset, tandem inuiti eiectioni sunt, tanq; mali, malisq; moribus assueti. Igitur preparata rursus scapha, cibisq; impositis abscedere coacti mensibus quatuor ad Regem Indiae peruenerunt, a quo postea saluo conductu per Persidem in Graeciam dimissi sunt.

De Taprobana insula & gentis eius moribus. Vicesimum septimum & vltimum Caput.